DE CONSTRVCTIONE OCTO PARTIVM Orationis.

EMANVELIS ALVARIS
Luſitani e Societate IESV
libellus
Nunc primum in lucem editus.

Venetiis, apud Michaelem Tramezinum, Anno
poſt Chriſtum natum. M. D. LXXI.

*Cum priuilegio Pont. Max. Senatus Veneti,
& Regni Neapolitani.*

Di Gio. Tomaso Angleri Clerico

[illegible]

LECTORI SALVTEM

QVIA omnis ars atq; præceptio, aliter a doctoribus ipſis inter ipſos veri inueſtigandi cauſa pertractari, aliter diſcipulis, inſtituendi cauſa, præſertim initio tradi conſueuit; propterea nos in vſum puerorum ac rudium, Emanuelis ipſa duntaxat præcepta grammatices maxime neceſſaria paucis adſcriptis exemplis, in præſentia emittimus. Hæc eadem per cōmentarios ab ipſo auctore ſubtilius vberiusque explicata, magiſtrorum in gratiam, proprio volumine ſeparatim excudentur. Quod te, bone lector, initio monitum volui, ne forte mirere, ſi multa, de quibus inter ſe Grammatici ſumma ope digladiantur, in hoc libello vel admodum leuiter adnotata, vel etiam prorſus omiſſa repereris. Vale.

DE CONSTRVCTIONE INTRANSITIVA.

VERBVM perſonale finiti modi antecedit nominatiuus aperte, uel occulte, eiuſdem numeri, & perſonæ. Cic. Si uales, bene eſt, ego quidem ualeo. Ter. Quis hic loquitur? Idem, quid ſtamus? cur non imus hinc? Ep. 14 Eun. Ibidem.

Appendix.

Prima, & ſecunda perſona fere non explicantur, niſi cum diuerſa ſtudia ſignificamus. Ad Her. Ego patriam liberaui, uos liberi eſſe non curatis? Aut cum plus ſignificamus, quam dicimus, Cic. Tu innocentior, quam Metellus? Tu, plus ſignificat, quam uerbum ipſum per ſe declarat. Lib. 4 In Ver.

II. Appendix.

Verbum infinitum, interdum partes nominatiui agit, Cic. Oportere perfectionem declarat officij. Teren. Non eſt mentiri, meum. Item uerbũ cum ſuo caſu, Cic. uacare culpa, magnum eſt ſolatium. Brut. ad Att. Dolet mihi, quod tu nunc ſtomacharis. In or. Heaut. Ep. 7 Ep. 17

III. Appendix.

Voces copulatæ, ſæpe uerbum plurale deſiderant. Cic. Hic nobiſcum ſunt Nicias, & Valerius. Nonnunquam omittitur coniunctio. Idem: Ad Att. Lib. 12 Ad Q. fra.

Frons, oculi, uultus perſæpe mentiuntur, oratio uero ſæpiſsime.

IIII. Appendix.

Verbum plurale nobiliorem perſonam ſequitur. Prima nobilior eſt, quam ſecunda et tertia, ſecunda tertiæ anteponitur. Cic. Si tu, & Tullia lux noſtra ualetis: ego, & ſuauisſimus Cicero ualemus.

Verbum perſonale infiniti modi poſtulat ante ſe accuſandi caſum. Cic. Att. li. 15. Hunc quidem
Ep. 14. *nimbũ cito tranſiſſe lætor. Ter. Adelph. Saluũ te aduenire gaudemus.*

De adiectiuis, & ſubſtantiuis.

Nomina adiectiua, pronomina, & participia, cohærent cũ ſuis ſubſtantiuis genere, numero, &
6. Ver. *caſu. Cic. Erat hyems ſumma tempeſtas perfri-*
Eun. *gida, imber maximus. Ter. Ille bonus uir nuſquã*
Lib. 6 *apparet. Cur. Parua ſæpe ſcintilla contempta, magnum excitauit incendium.*

Appendix.

Subſtãtiua colligata fere adiectiuum multitudinis requirunt. Liu. Hippocrates & Epicides, nati Carthagine, ſed oriundi ab Syracuſis.

II. Appendix.

Adiectiuum plurale, præſtantius genus ſibi uendicat.

Virile, præſtantius eſt muliebri, & neutro.
And. *Ter. Domus, uxor, liberi inuenti inuito patre.*
Bel. Mac. 7 *Liu. Decem ingenui, decem uirgines, patrimi omnes, matrimiq. adhibiti.*

Neutrum muliebri præfertur. præcipue cum de rebus inanimatis ſermo eſt. Sal. His genus ætas, eloquentia prope paria fuere. Idem: Diuitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt. Cat. Ibidem.

III. Appendix.

Cum ſubſtantiuis rerum inanimatarum plerunq; iungitur neutrũ multitudinis. Liu. Ira, et auaritia imperio potentiora erant. Idem Formijs portam murumq; de cœlo tacta nuntiabatur. 7.bel.Ma.

Relatiua.

Relatiuum qui, quæ, quod, concordat cum antecedente in genere, & numero. Cic. Nemo nos amat, qui te non diligat. Idem. Accepi ab Ariſtocrito tres epiſtolas, quas lacrymis prope deleui. Ep. 16. Ep. 14

Item pronomina Hic, Iſte, Ille, Ipſe, Is, & Idem, cum fiunt relatiua. Cic. Venit mihi obuiam puer tuus: is mihi litteras abs te reddidit. Ad Att.

Appendix.

Relatiuum qui, quæ, quod, cum antecedenti præponitur, cum eodem genere, numero, & caſu, cohæret. Per quas credis eſſe has, non ſunt ueræ nuptiæ. And.

Quod ſi inter duo ſubſtantiua ponatur, cum alterutro conſentire poterit, etiam ſi alterum proprium ſit. Sal. Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Curt. Darius ad eum locum quem Amanicas Pylas uocant, peruenit. Cat. Lib. 3.

II. Appendix.

Quantus, qualis, & cetera id genus nomina, cum relatiua fiunt, non cum antecedente ſed cum conſequente ſubſtantiuo, genere, numero, & caſu conſentiunt. Cic. Dixi de te quæ potui, tanta contentione, quantũ forum eſt. Idẽ. Vtinam in Tiberio Graccho, Caioq; Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit.

Ep. 12
In Bru.

III. Appendix, Nominatiuo, & Verbo: Adiectiuo, & ſubſtãtiuo, Relatiuo, & antecedenti communis.

Nominatiuus, & uerbum, adiectiuum, & ſubſtantiuum, relatiuum, & antecedens: interdum, maxime apud hiſtoricos, & poetas, ſenſu, & ſignificatione conſentiunt, quamuis uoce diſcrepent. Vir. Pars in fruſta ſecant, uerubusq; trementia figunt. Liu. Pars in iuueniles luſus uerſi, pars ueſcentes ſub umbra, quidam ſomno etiam ſtrati. Ter. Vbi illic eſt ſcelus, qui me perdidit.

1. Æn.
7. Bel. Ma.
And.

Subſtantiua continuata.

Subſtantiua continuata, quæ ad eandem rem ſpectant, caſu concordant, quamuis genere, & numero aliquando diſſentiant. Cæſ. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen diuidit. Plin. Quid agit Comum, tuæ, meæq; deliciæ.

lib. 1. Bel. Gall.
Ad Can. Ruf.

Vtrinq; nominandi caſus.

Omne uerbum perſonale finiti modi, utrinq; nominatiuum habere poteſt, cum utrumq; nomen ad eandem rem pertinet, cuiuſmodi maxime eſt uerbum ſubſtantiuum, uocatiuum, & alia quamplurima. Ter. Senectus ipſa eſt morbus. Cic. De Amicitia alio libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius. Sal. Virtus clara æternaq; habetur. Cic. Ego uiuo miſerrimus. Idem. Defendi rempub. adoleſcens, non deſeram ſenex. Phor. 2. off. Cat. Att. 3 Phil. 2

Nominatiuus poſt uerbum infinitum.

Verbum perſonale infiniti modi, poſt ſe nominatiuum petit, cum res ad nomintiuum præcedentis uerbi pertinet. Cic. Nolo eſſe longior. Idē Malim uideri nimis timidus, qnam parum prudens. Ter. Diſce eſſe pater abijs, qui uere ſciunt. 1. de Na. Pro Mar. Adel.

Appendix.

Sin uerba, Puto, Aio, Refero, & eiuſdem ſignificationis, præcedant infinitum, durior efficitur eiuſmodi oratio Lucan. Tutumq; putauit Iam bonns eſſe ſocer. orator dixiſſet ſe bonum eſſe ſocerum. Lib. 9

II. Appendix.

At ſi accuſatiuus anteceſſit, & ſequatur neceſſe eſt. Cic. Cupio patres conſcripti me eſſe clementem, cupio in tantis reipub. periculis non diſſolutum uideri. Idem: Ego me Phidiam eſſe mallem, quam, uel optimum fabrum tignarium. 1. Cat. de Cl. or.

III. Appendix.

Infinitum eſſe, accedente uerbo licet, dandi, uel accuſandi caſum poſt ſe poſtulat. Cic. licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminundæ. Idem Mihi negligenti eſſe non licet. Idem. Cur his per te frui libertate, cur deniq; eſſe liberos non liceat? Idem. Quod ſi ciui Romano licet eſſe Gaditanum.

1. Tuſc. Att. 1 Pro Flac. Pro Cor.

Interrogationis atque reſponſionis conſenſus.

Interrogatio, & reſponſio caſu conſentiũt. Cui præceptori dediſti operam? Platoni. Cuius eſt hæc oratio? Ciceronis. Quem exiſtimas fuiſſe principem oratorum? Demoſthenem. Quo morbo fuiſti impeditus? Aſſidua febricula.

DE CONSTRVCTIONE TRANSITIVA NOMINIS.

Genitiuus poſt nomen ſubſtantiuum.

Votieſcunq; duo nomina ſubſtantiua rerum diuerſarum, in oratione continuantur, alterum erit fere genitiui caſus. Cic. Supplicium eſt pœna peccati. Idem. Mirum me deſiderium tenet urbis. Idem. Maximum ornamen

1. Piſ. Ep. 2 De Amic.

tum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit uerecundiam.

Appendix.

Adiectiua, cum ſubſtantiuè ponuntur, more ſub ſtantiuorum conſtruuntur. Cic. Tantum cibi, & potionis adhibendum, ut reficiantur uires, non opprimantur. Idem, quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris fuit. Pom. uos hortor, ut quodcunq; militum contrahere poteritis, contrahatis. Senec. 1.Ver. 8. ad Att.

Subſtantiua cum ad laudem, uel uituperationem referuntur, genitiuo, uel ablatiuo gaudent. Cic. Neque te monere audeo, præſtanti prudentia uirum, neque confirmare, maximi animi hominem. Pli. Choramandarum gentem uocat Tauron ſylueſtrem ſine uoce, ſtridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis. Ep. 5 L. 7. ca. 2.

Genitiuus poſt nomen adiectiuum.

Adiectiua, quæ ſcientiam, communionem, copiam, & his contraria ſignificant, cum genitiuo iunguntur. Vt peritus, ignarus, particeps, expers, plenus, inanis. Cic. Fabius pictor, & iuris, & litterarum, & antiquitatis bene peritus fuit, ex eodem: Antonius omnis eruditionis expers, atque ignarus fuit. Idem: Virtutes ita copulatæ connexæque ſunt, ut omnes omnium participes ſint. Idem: Stultorum plena ſunt omnia, ex eodem: omnia plena conſiliorum, inania uerborum uidemus. In Bru. 2. de Or. 5. de Fin. Ep. 9. 1. de Or.

Item quædam in ax, ius, idus, & oſus, & me-

L. 1. c. 1. mor, immemor, Quin. Tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus ãnis percepimus.

li. Philip. Cic. Huius rei ne poſteritas quidem omnium ſæculorum immemor erit, Idem.

Ep. 5. Cum T. Pomponius homo omnium meorum in te ſtudiorum conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus ad te proficiſceretur, alquid mihi ſcribendum putaui.

Acad. Cic. Democritus ſtudioſus, nobilitatis.

Partitiua.

Partitiua genitiuo multitudinis gaudent.

2. de Nat. Cic. Elephanto belluarum nulla prudentior.

de Sen. Idem. Minus habeo uirium, quam ueſtrum uteruis.

Ad. Q. Fra. Idem. Domus utriuſque noſtrum ædificatur ſtrenue.

1. ab urb. Item numeralia nomina. Liu. Imperium ſummum Romę habebit, qui primus ueſtrum, ò iuuenes, oſculum matri tulerit

lib. 8. Curt. Octoginta Macedonum interfecerunt.

Ibidem Idem. Nolo ſingulos ueſtrum excitare.

Denique quęcunque adiectiua partitionem ſignificant, genitiuum poſſunt admittere.

de Sen. Cic. Multa etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ.

1. Bell. Mac. Liu. Macedonum fere omnibus, & quibuſdam Andriorum, ut manerent, perſuaſit.

lib. 10. Curt. Cum paucis amicorum ad Leonnatum peruenit.

l. 8. c. 48. Pli. Lanarum nigræ nullum colorem bibunt.

Superlatiua.

Si multa eiuſdem generis comparentur, utendum eſt ſuperlatiuo, cum genitiuo plurali.

5. Tuſ. Cic. Theophraſtus elegantiſſimus omnium philoſopho

rum,& eruditiſſimus. Pli. Demoſthenes ſummus oratorum Græciæ.

Appendix.

Tam ſuperlatiua quam partitiua, genitiuo ſingulari coniunguntur. Cic. habet aduerſarium P. Quinctius uerbo, Sex. Næuium: reuera, huiuſce ętatis homines diſertiſſimos, ornatiſſimos noſtrę ciuitatis. pro Quin. *Idem: Virum unum totius Græciæ facile doctiſſimum Platonem in maximis periculis, inſidijsque uerſatum eſſe acccepimus.* pro Rab. Poſt.

II. Appendix.

Tum ſuperlatiua nomina, tum etiam Partitiua, quæ cum ſuis ſubſtantiuis caſu cohærent, & genere, & numero conſentiunt. Cic. Indus qui eſt omnium fluminum maximus, non aqua ſolum agros lętificat, ſed eos etiam conſerit: 2. de Nat. *Pli. Hordeum frugum omnium molliſſimum eſt.* l. 18. c. 1. *Pom. Mela. famam habet ob Cereris templum Enna præcipua montium.* l. 2. c. 7.

Quod ſi nullum ſit ſubſtantiuum, cum genitiuo, genere conſentient. Liu. ſummi infimique Gabinorum. 1. ab urb. *Quin. Equidem Ciceronem ſequar, nam is eminentiſſimos Græcorum eſt ſequutus.* l. 9 c. 4. *Plin. Ouorum alia ſunt candida, ut columbis, perdicibus: alia pallida, ut aquaticis, &c.* l. 10. c. 52.

III. Appendix.

Genitiuus tam ſuperlatiui, quam partitiui in ablatiuum cum præpoſitione E, uel Ex, uel De, mutari poteſt. Cic. Audaciſſimus ego ex om- pro Sex Roſ.

Ep. 16. *nibus? minime. Idem: De tuis innumerabilibus in me officijs, erit hoc gratisſimum.*

Mutatur interdum genitiuus ſuperlatiui in accuſatiuum cum præpoſitione inter, uel ante.

Pro Sex. Roſ. *Cic. Ipſe honeſtisſimus inter ſuos numerabatur.*

1. ab urb. *Liu. Longe ante alios acceptisſimus militum animis.*

IIII. Appendix.

In Bru. *Superlatiua, præter proprium caſum, admittunt etiam caſum ſuæ poſitionis. Cic. fuit Sex. Aelius iuris quidem ciuilis omnium peritisſimus. omnnium, ſuperlatiui: iuris ciuilis, poſitiui caſus eſt.*

Admittunt & genitiuum partitionis, more nominum unde formantur. 1.9.c.51. *Pli. Plurimi piſcium tribus menſibus Aprili, Maio, Iunio pariunt.*

Genitiuus uel Datiuus poſt nomen.

Nomina quæ ſimilitudinem, aut disſimilitudinem ſignificant, genitiuum uel datiuum exigunt.

Eun. *Ter. Domini ſimilis.* 5. de Fin. *Cic. Non uideo cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius.* 2. Philip. *Idem: Antonius ſaturauit ſe ſanguine disſimillimorum ſui ciuium.*

In Br. *Idem. Nihil tam disſimile, quam Cotta Sulpitio.*

de Sen. *Item communis, proprius. Cic. Id quidem non proprium ſenectutis eſt uitium, ſed commune ualetudinis.* pro Sex. Ro. *Idem: Quid tam commune quam ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, lit-*

tus eiectis? Plin. Cæſari proprium,& peculiare ſit,præter ſupradicta,clementiæ inſigne. l.7.c.25.

Datiuus poſt nomen.

Nomina quibus commodum, uoluptas,gratia, fauor,fidelitas,æqualitas,& his contraria ſignificantur,datiuum poſcunt: ut ſalutaris,pernicioſus,iucundus, moleſtus,gratus,inuiſus, propitius, infeſtus,fidus,infidus,par,impar. Cic. Erat meum conſilium cum fidele Pompeio, tum ſalutare utrique. Idem. O gratas tuas mihi, iucundasque litteras. Ep.6.

Itē uerbalia in bilis, ut amabilis,formidabilis, optabilis. Cic. Pax mihi in primis fuit optabilis. Philip.7.
Quædam præterea, quæ ex præpoſitione Con, componuntur ut conſcius, conſentaneus, concors, concolor, confinis,cum adiectiua ſunt. Cic. Mihi conſcius ſum nunquam me nimis cupidum fuiſſe. 2. Tuſcu.
Ex eodem! Sulpitij mors conſentanea uitæ fuit ſanctiſſime honeſtiſsimeq; actæ. Philip. 9.

Datiuus uel accuſatiuus cum præpoſitione Ad, poſt nomen.

Accommodatus, appoſitus,aptus,idoneus, habilis,utilis,inutilis natus huic rei, uel ad hāc rem. In Piſ.
Cic. Ille gurges, atq; helluo natus abdomini ſuo nō laudi,atque gloriæ,Idem.Cn. Pompeius uir ad omnia ſumma natus. In Bru.

Accuſatiuus uel ablatiuus poſt nomen.

Adiectiua, quibus generalis dimenſio ſigni-

ficatur, accuſandi, uel auferendi caſum poſtulant, qui certam menſuram ſignificet. Liu. Foſſam

6. Bell. Mac. ſex cubitis altam, duodecim latam cum duxiſſet.

l.5.c.3. Colum. Eſto ager longus pedes mille ducentos, latus pedes centum uiginti.

Ablatiuus poſt nomen.

Immunis, diues, contentus, præditus, orbus,
Indignus, liber, locuples, extorris, inanis,
Plenus, inops, uacuus, caſſus, dignusque refertus
Et captus, uiduusque, potens, alienus, onuſtus,
Et fretus, nudus, caſum ſumpſere latinum.

Att. 2. Cic. nulla abs te per hos dies epiſtola inanis aliqua re utili, & ſuaui uenerat.

Att. 3: Idem, ex tuis litteris plenus ſum expectatione de Pompeio.

l.1.ab urb. Liu. Inde una centuria facta eſt immunis militia.

O P V S.

Opus, nomen adiectiuum, & indeclinabile, accedente uerbo ſubſtantiuo, ablatiuum poſtulat.

In Sal. *Cic. Quid opus eſt uerbis?*

Ablatiuus cum præpoſitione.

Adiectiua diuerſitatis, & numeralia ordinis, ablatiuum cum præpoſitione A, uel Ab, admittunt.

4. Acad. Cic. certa cum illo, qui à te totus diuerſus eſt,

Att. 16 Idem. Nauigationis labor alienus ab ætate noſtra.

4. Acad. Idem. Poſt autem conficta à Carneade, qui eſt quartus ab Arceſila.

Item ſecurus, liber, uacuus, purus, nudus,

inops,orbus,Cic. His quidem temporibus in omni orbe terrarum uacui, expertes, ſoluti, ac liberi fuerunt,ab omni ſumptu,moleſtia,munere. Idem, tam inops ego eram ab amicis,aut nuda reſpub. à magiſtratibus? 6. Ver. pro Dom. ſua.

COMPARATIVA.

Comparatiuo utimur cum ablatiuo, quando uel plura diuerſi generis comparantur. Cic. Luce ſunt clariora nobis tua conſilia. Cur. Maiora ſunt prẹmijs pericula. 1. Cat. l. 9.

Vel cum duo eiuſdem, aut diuerſi generis conferuntur. Cic. quæ non poſterior dies acerbior priore, & quæ non inſequens hora antecedente calamitoſior populo Romano illuxit? Ep. ad Oct.

Appendix.

Ablatiuus comparatiui, intercedente coniunctione, quam, mutatri poteſt, in caſum uerbo congruentem. Cic. tu innocentior quam Metellus? Teren. ego hominem callidiorem uidi neminem, quam Phormionem. 5. Ver. Phor.

II. Appendix.

Comparatiuá, quemadmodum, & cetera adiectiua, cum partitionem adſignificant, genitiuum deſiderant, Liu. In hanc ſententiam ut diſcederetur, iuniores patrum euincebant. Hor. ò maior iuuenum. Autores tamen ſẹpius ablatiuo utuntur cum prẹpoſitione E, uel Ex. Cic. Ante ſcri- 3. ab ur. In ar. Att. 1 6

pta epiſtola ex duabus tuis prior mibi legi cæ-
Ad Can. *pta eſt. Pli. Minorem ex duobus liberis amiſit.*
Ru.l.3.

III. Appendix.

Præter ſuum caſum admittunt comparatiua a-
l.5. *blatiuum ſignificantẽ exceſſum. Hercules fuit pro cerior te cubito. Cur. Turres denis pedibus, quam murus altiores ſunt.*

Att. 16. *Item caſum ſuæ poſitionis. Cic. Mibi nemo eſt amicior, nec iucundior, nec carior Attico. Denique hos ablatiuos opinione, ſpe, æquo, iuſto, ſo-*
In Br. *lito, dicto. Cic. opinione omnium maiorem cepi*
5.bell.pu. *ego dolorem. Liu. Reate ſaxum uiſum uolitare, ſol rubere ſolito magis.*

Ablatiuus ſignificans laudem, uituperationem, partem.

Pleraque adiectiua ablatiuum poſtulant ſi-
de pet. cõ. *gnificantem laudem, uituperationem, uel partem. Q. Cicero. Non erit difficile certamen cum iis*
1.de Or. *competitoribus, qui nequaquam ſunt tam genere inſignes, quam uitiis nobiles. Cic. ſunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita uoce abſoni, aut ita uultu, motuque corporis uaſti, et agreſtes, ut etiam ſi ingeniis, atque arte ualeant, tamen in oratorum numerum uenire non poſſint.*
Cat. *Sal. Ex altera parte C. Antonius pedibus æger.*

Appendix.

Ablatiuum partis frequenter in accuſatiuum
1.Æn. *mutant poetæ. Vir. Os, humeroſque Deo ſimilis. Item hiſtorici, ſed rarius. Liu. Miſſile telum, ha-*

ſtili oblongo, & cetera tereti, prȩter quã ad extremum. Pom. Mela. Sarmatæ totum brachati corpus, & niſi qua uident, ora etiam ueſtiti.

DE CONSTRVCTIONE TRANSITIVA VERBI.

Genitiuus poſt uerbum.

SVM, genitiuum petit, cum poſſeſſionem ſignificat. Ci. Ep. 2
Iam me Pompeij totum eſſe ſcis. Aut ad aliquid pertinere. Idem. Adoleſcen- 1. off.
tis eſt maiores natu uereri. Idem. Cuiuſuis ho- 12. Phil.
minis eſt errare, nullius, niſi inſipientis, perſeuerare in errore.

Item hæc duo: Intereſt, & refert. Cic. Intereſt 2. de Fin.
omnium recte facere. Quin. Plurimum refert l. 9. c. 4.
compoſitionis, quæ quibus anteponas.

Exceptio.

Intereſt tamen, & Refert, hos ablatiuos habent, mea, tua, ſua, noſtra, ueſtra. Cic. Et tua, & Ep. 1.
mea maxime intereſt te ualere. Ter. Tua quod Heaut.
nihil refert, percontari deſinas. Idem: Hic ſua Pro Clu.
putat intereſſe, ſe re ipſa, & geſto negocio, non lege defendi. Idem. Veſtra enim, qui cum ſum- Pro Syl.
ma elegantia, atque integritate uixiſtis, hoc maxime intereſt.

Verbum Eſt, pro ablatiuis mea, tua, ſua, noſtra, ueſtra, habet meum, tuum, ſuum, noſtrum, ueſtrum. Cic. Si memoria forte defuerit, tuum eſt ut ſuggeras. Idē puto eſſe meum, quid ſentiam exponere.

2. de Fin. Ep. 6

Appendix.

Magnum, paruum, tantum, quantum, iunguntur in genitiuo cum uerbis intereſt, & refert. Ci. Magni ad honorem noſtrum intereſt, quamprimum me ad urbem uenire.

Ep. 16.

Idem. Permagni noſtra intereſt, te eſſe Romæ. Idem. Parui refert abs te ipſo ius dici æquabiliter. Pom. Scio quanti Reip. interſit, omnes copias in unum locum primo quoque tempore conuenire.

Att. 2. Ad Q. fr. l. 1. 8. ad Att.

Cætera huiuſmodi per aduerbium adduntur, ut: plurimum intereſt, maxime refert, nihil intereſt. Cic. Theodori quidem nihil intereſt, humine, an ſublime putreſcat. Idem. Equidē ad noſtrā laudem non multum uideo intereſſe, ſed ad properationē meā quiddam intereſt, non te expectare.

1. Tuſc. Ep. 5.

Miſereor, ſatago, genitiuum adſciſcunt. Cic. Qui miſereri mei debent, non deſinunt inuidere. Terent. Clinia reru m uarum ſatagit.

Att. Hea.

Obliuiſcor, recordor, reminiſcor, memini pro recordor, tum genitiuum, tum accuſatiuum poſtulant. Cic. Eſt proprium ſtultitiæ, aliorum uitia cernere, obliuiſci ſuorū. Idem: Omnia obliuiſcor, in gratiam redeo. Teren. Faciam ut mei ſemper memine-

3. Tuſc. 8. Philip. Eun.

memineris. Cic. omnia, quæ curant ſenes, meminerunt. De Sen. 1.

Memini, pro mentionem facio, cum genitiuo, uel ablatiuo, & præpoſitione De, iungitur. Quin. Neq; omnino huius rei meminit uſq; poeta. Idē: De quibus multi meminerunt. Li. 1 n.c.a. Ibidem.

Datiuus poſt uerbum.

Sum modo datiuum unum habet. Cic. Nuntiāt melius eſſe ei. Modo duos. Idem: Reſpondebo primum poſtremæ tuæ paginæ, quæ mihi magnæ moleſtiæ fuit. Att. 6. Att. 6.

Verba quæ auxilium, adulationem, commodum, incommodum, fauorem, ſtudium, ſignificant, dandi, caſum poſcunt. Vt auxilior, adulor, commodo, incommodo, faueo tibi, ſtudeo philoſophiæ. Cic. Homini iam perdito, & collum in laqueum inſerenti ſubueniſti. Idem. Patres conſcripti conſulite uobis, proſpicite patriæ. 6. Ver. 4. Cat.

Datiuo item adhærent compoſita ex uerbo, ſum, & quæ obſequium, obedientiam, ſubmiſſionem, repugnantiam, ſignificant. Vt proſum, obſequor, obtempero, ſeruio, repugno tibi. Cic. contemnuntur ij, qui nec ſibi, nec alteri proſunt, ut dicitur; Idem. Ego uero quibus ornamentis aduerſor tuis? aut cui dignitati ueſtræ repugno? Dandi præterea caſum deſiderant, quæ euentum ſignificant, ut accidit, cadit, contingit, euenit, obuenit, obtigit. Cic. A te mihi omnia ſemper honeſta, & iucunda ceciderunt. Idem, forte 2. Offic. Pro Syl. Ad Q. Frat. 1. 4. Ver.

.1 Offic. *prouincia Sicilia Verri obuenit. Idem, quod cuiq; obtigit, id quiſque teneat.*

Item libet, licet, liquet, expedit, & quæ ſunt
2. Or. *generis eiuſdem. Cic. ſi tibi id minus libebit, non*
7. Ver. *te urgebo. Idem. Non idem mihi licet, quod ijs,*
4. Acad. *qui nobili genere nati ſunt. Idem. Si habes, quod tibi liqueat; neque reſpondes; ſuperbis.*

Multa denique ex uerbis neutris, & præpoſitionibus Ad, Con, In, Inter, Ob, Præ, Sub: dandi caſum ſibi aſſumunt. Vt aſſurgo, cõuiuo, immineo, illacrymo, interuenio, obuerſor, præluceo, ſuc-
Pro Seſt. *cumbo. Cic. Mihi ante oculos obuerſatur reipub.*
In Sal. *dignitas. Idem. Ego meis maioribus uirtute præ*
Li.9.c.10. *luxi. Quin. De omnibus ætatis ſuæ, quibusque conuiuebat, Silentium egit.*

Datiuus uel accuſatiuus poſt uerbum.

Antecedo, anteceo, anteſto, anteuerto, attendo, præſto, præcurro, præceo, præſtolor, inceſſit,
4. de Fin. *illudo, dandi, uel accuſandi caſum admittunt. Cic. Virtus tantum præſtat cęteris rebus, ut dici uix*
7. Bell. M. *poſſit. Liu. Robore nauium, & uirtute militum Romani longe Rhodios præſtabant.*

INTERDICO.

Interdico, ſingulare eſt, nam præter datiuum,
1. Bel. Ga. *ablatiuum habet. Cæſ. Ariouiſtus omni Gallia*
4. Bell. M. *Romanis interdixiſſet. Item accuſatiuum. Liu. Fœminis duntaxat uſum purpuræ interdicemus.*

Ablatiuus poſt uerbum.

Sum, ablatiuum ſignificantem laudem, uel uituperationem. Cic. Tu fac animo forti, magnoque ſis. Idem. Bona ualetudo iucundior eſt eis, qui è graui morbo recreati ſunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt. 1. Len. Poſt red. ad Q.

Appendix.

Sum, interdum genitiuum habet, etiam cum laus, uel uituperatio ſignificatur. Cic. Antonius uir maximi animi, (utinā etiā ſapientis cōſilij fuiſſet.) Pl. Erat puer acris ingenij, ſed ambigui. Ad cl. l.

Hæc egeo, indigeo, careo, uaco, uictito, ueſcor,
Viuo, ſuperſedeo, potior, delector, abundo,
Mano, fluoque, fruor, ſcateo, nitorque redundo,
Glorior, oblector, triſtor, lætorque, laboro.
Conſto, pluit, ualeo, poſſum, ſto, fungor, & utor.
Quem caſum ignorant Graij, ſibi iure repoſcunt.

Cic. Incredibile eſt mi frater, quam egeam tempore. Idem. Nihil honeſtum eſſe poteſt, quod iuſtitia uacat. Pli. Pars quædam Aethiopum locuſtis tantum uiuit, fumo, & ſale duratis. Cic. Commoda quibus utimur, lucemq. qua fruimur, ſpiritumque quem ducimus, a Deo nobis dari atq. impertiri uidemus. Liu. In monte Albano lapidibus pluiſſe. ad Q. Fra. 3 1. Offic. Li. 6. c. 30 Pro Sex. Ro. 1. ab ur.

Appendix.

Egeo, indigeo, potior, etiam genitiuum admittunt. Cic. Egeo conſilij. Idem. Hoc bellum indiget celeritatis. Idem. Otium nobis exoptandum Att. 7 Ep. 2.

eſt, quod ij qui potiuntur rerum, præſtaturi uidentur.

Appendix. II.

Potior, ueſcor, fungor, non recuſant accuſandi caſum. Cic. Ego doleam, ſi ad decem millia annorum gentem aliquam urbem noſtram potituram putem? Pli. Aues nonnullæ ueſcuntur ea, quæ rapuere pedibus. Ter. Neque boni, neque liberalis functus officium eſt uiri.

1\. Tuſc. L. 10. c. 3. Adel.

Appendix III.

Neutra ſæpe ablatiuum admittunt ſignificantem partem. Cic. Vt tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam. Idem, Si tibi bellum aliquod magnum, & periculoſum adminiſtranti prorogatum imperium uiderem; tremerem animo.

2\. de Or. Ad Q. Fra. 5.

Hoc genere loquendi frequentius utuntur poetæ, qui ablatiuum etiam in accuſatiuum mutare conſueuerunt. Virg. Stare loco neſcit: micat auribus, & tremit artus.

3\. Geor.

DE CONSTRVCTIONE VERBI ACTIVI.

VERBVM actiuum uel potius accuſatiuum uerbum cuiuſcunque id demum poſitionis ſit, poſt ſe accuſandi caſum poſtulat, ut Deum cole, imitare diuos. Am-

plectere uirtutem. Noui animi tui moderationẽ. Non decet ingenuum puerum ſcurilis iocus. Heu quam miſeram uitam uiuunt auari. Cic. Ingrati animi crimen horreo. Idem: Amariorem me ſenectus fecit, ſtomachor omnia. Att. 9. Att. 14

Genitiuus præter accuſatiuum.

Verba accuſandi, abſoluendi, damnandi; potiſſimum accuſo, accerſo, arguo, alligo, aſtringo, coarguo, defero, incuſo, inſimulo, poſtulo, abſoluo, damno, condemno, conuinco: præter accuſatiuum, genitiuum admittunt, qui pœnam, crimen ue certum, aut incertum ſignificet. Cic. An non intelligis primum quos homines, & quales uiros mortuos ſummi ſceleris arguas? Autor ad Her. C. Cæcilius iudex abſoluit iniuriarum eum, qui Lucium poetã in ſcena nominatim læſerat. Idem. Maiores noſtri ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici iudicio multorum maleficiorum conuictam putabant. Cic. Ciuem Romanum capitis condemnare cogit. Ter. Hic furti ſe alligat. Plau. homo furti ſe aſtringit. pro C. Ra Lib. 2. Lib. 4. pro C. Ra Eun. pen

Appendix.

Genitiuus criminis, maxime cum his uerbis accuſo, arguo, defero, poſtulo, appello, abſoluo, damno, condemno, in ablatiuum cum præpoſitione, De, mutari poteſt. Cic. non cõmittam poſthac ut me accuſare de epiſtolarum negligentia poſſis. Liu. Blactius de proditione Daſium appellabat. Att. 6. Bel. pũ

Exceptio.

Hoc tamen nomen, crimen, ablatiuo ſine præ-
Ep. 2. *poſitione effertur. Cic. Si iniquus es in me iudex,*
condemnabo eodem ego te crimine. Dicimus etiã
capite aliquem damnare, punire, plectere. Au-
Lib. 4. *tor ad Her. Eũ uos iurati capite damnaſtis. Suet.*
Oth. ca. 2. *Auſus es milites capite punire. Mar. Capite plec*
Pand. 48. *ti debent, uel in inſulam deportari.*

Appendix. II.

Abſoluo, libero, alligo, aſtringo, multo, obli-
go, obſtringo, ablatiuum ſignificantem pœnam,
7. ab urb. *crimenue ſine præpoſitione admittunt. Liu. Ego*
1. de Or. *me, & ſi peccato abſoluo: ſupplicio nõ libero. Cic.*
Vitia hominũ atque fraudes damnis, ignominijs,
uinculis, uerberibus, exilijs, morte multantur.
Admoneo, commoneo, commonefacio, geni-
L. 1. c. 5. *tiuum habẽt cum accuſatiuo. Quin. Grammaticos*
Lib. 4. *ſui officij cõmonemus. Autor ad Her. Cum ipſe te*
ueteris amicitiæ commonefaceret, commotus eſt.
Item miſeret, miſereſcit, piget, pœnitet, pudet,
Trin. *tædet. Pla. Miſeret te aliorum, tui te nec miſe-*
Hea. *ret, nec pudet. Ter. Inopis te nunc miſereſcat*
Ep. 2. *mei. Cic. eos partim ſcelerum ſuorum, partim*
Pro do. *etiam ineptiarum pœniteret. Idem. Me non ſo-*
ſua. *lum piget ſtultitiæ meæ, ſed etiam pudet. Idem.*
Att. 5. *Quid quæris? tædet omnes nos uitæ.*

Verba æſtimandi.

Verba æſtimandi, præſertim æſtimo, duco, fa-
cio, habeo, pendo, puto, præter accuſatiuum hos

fere genitiuos aſſumunt, magni, maximi, pluris, plurimi, parui, minoris, minimi, tanti, tantidem, quanti, quanticunque. Cic. Ego pro Pompeio libenter emori poſſum, facio pluris omnium hominum neminem. Ter. Merito te maximi feci Chreme. Idem. Tu illum nunquam oſtendiſti quanti penderes. Att. 8. Hea. And.

Appendix.

Dicimus etiam magno, permagno, & magno pretio æſtimare. Cic. Næ ego iſtam glorioſam memorabilemque uirtutem non magno æſtimandam putem. Idem. Tu iſta permagno æſtimas? Val. Max. Magno ubique pretio uirtus æſtimatur. 3. de Fin. 3. Ver. Li. 5. c. 4.

Appendix. II.

Nauci, flocci, pili, aſsis, teruntij, nihili, cum uerbo facio iunguntur. Cic. Eum nihili facit. Dicimus etiam: tuas minas huius non facio, flocci, nihili tuas fortunas pendo, non aſsis, non flocci te æſtimo, pro nihilo habeo, puto, duco diuitias omnes pre uirtute. Non nihilo bonam ualetudinem æſtimo. 2. de Fin.

Appendix. III.

Sum, pro æſtimor genitiuos magni, maximi, pluris, plurimi, cæteroſque admittit. Cic. Quis Carthaginenſium pluris fuit Hannibale, conſilio, uirtute, rebus geſtis? Idem; Magni erunt mihi tuæ litteræ. Pro Ses. Ep. 15.

Singularia.

Aequi, bonique facio: Boni conſulo, ſingula-

Hea: ria ſunt. Ter. Equidem iſtud, Chreme, æqui bo-
Ep.127. niquè facio. Sen. Hanc coqui ac piſtoris moram boni conſulo.

Datiuus cum accuſatiuo.

Verba dandi, reddendi, committendi, promittendi, declarandi, anteponendi, poſtponendi, præ-
ProPlan. ter accuſatiuum, datiuum exigunt. Cic. ſalutem
Eun. tibi iidem dare poſſunt, qui mihi reddiderũt. Ter. Ego me tuæ commendo, & committo fidei. Cic.
Philip.10 Græcia tendit dextram Italiæ, ſuumque ei præſi-
Att. 10. dium pollicetur. Idem. Meas cogitationes ex-
Part. plicaui tibi ſuperioribus litteris. Idem. Iſta tua ſtudia, uel maximis meis occupationibus antefer-
Lib.13. rem libenter. Pli. Cyrenaica regio loton ſuæ
cap.19. poſtpoſuit paliuræ.

Appendix.

Alia præterea ſunt huius ordinis, ut facio tibi iniuriam, ago uobis maximas gratias, interdixi iſti nobis uſum purpuræ, minor, minitor tibi mortem, tormenta: Scribo, mitto tibi & ad te lit-
Ep. 5. teras. Vat. Omnia mihi dura imperas. Sulp. Ea
Ep. 4. tute tibi ſubijce, quæ alijs tute præcipere ſoles.

Appendix II.

Multa denique compoſita ex actiuis, & præpoſitione Ad, In, Ob, Præ, Sub. præter inter-
Att. 3. rogandi, etiam accuſandi caſum poſtulant. Cic. Inimici mei ~~uerba~~ mea mihi, non me ipſum, ademerunt.
Att.10. Idem. Vereor ne Pompeio quid oneris imponam.
Philip.3 Idem. Antonius ignobilitatem obijcit. C. Ceſa-

ris filio. Idem. Præfecit Deus animum ut do- De Vniu.
minum, & imperatorem obedienti corpori. Idem. Pro Mur.
Nolite mihi ſubtrahere uicarium meæ diligentię.

Gemini Datiui præter accuſatiuum.

Sunt, quibus geminus datiuus præter accuſa-
tiuum apponitur, do tibi hoc laudi, uitio, culpę,
crimini, pignori, fœnori. Vertis id mihi uitio, Stul
titiæ. Dubis honori, gloriæ, laudi, uitio, damno.
Cic. Profectò te intelliges inopia criminũ ſummã Pro Sex.
laudem Sex. Roſcio uitio, & culpę dediſſe. Pla. Ro. Epid.
Quis erit, uitio qui id non uertat tibi? Ter. Tu Adel.
nunc id tibi laudi ducis, quod feciſti inopia.

Geminus accuſatiuus poſt uerbum.

Moneo, doceo cum compoſitis, item flagito, po
ſco, repoſco, rogo, interrogo, celo, duos accuſan
di caſus admittunt. Cic. Id ipſum quod me mones, Att.
quatriduo antè cogitarã. Idem: Silij cauſam te do Ep. 7.
cui. Idem. Hoc te ita rogo, ut maiore ſtudio ro- Ad Q. Fra. 1.
gare non poßim.

Appendix.

Moneo, admoneo, commoneo, doceo, edoceo,
erudio te de hac re, id eſt, commonefacio, certio-
rem facio. Cic. Terentiam moneatis de teſtamen Att. 2.
to. Sal. Senatum edocet de itinere hoſtium. Cic. Cat.
Obuiæ mihi uelim, ſint tuę litterę, quæ me eru- Ep. 2.
diant de omni repub. Interrogo, celo eandem præ
poſitionẽ admittunt. Idẽ. Sic ego te uicißim eiſdẽ Part.
de rebus interrogẽ? Idem. Baſſus noſter me de hoc Treb. 7.
libro celauit. Celo, etiã datiuo gaudet, maxime uo
ce paßiua. Ter. Si hoc celetur patri, in metu ſum. Phorm.

Ablatiuus præter accuſatiuum.

Induo, inſterno, ueſtio, exuo, calceo, cingo, & his ſimilia, ablatiuum præter accuſatiuum ſibi ad ſciſcunt. 2. de Na. *Cic. Natura oculos membranis tenuiſſimis ueſtiuit, & ſepſit.* 3. de Na. *Idem: Diligentius urbem religione, quam ipſis mœnibus cingitis.*

Item uerba implendi, onerandi, liberandi, & his contraria. De Vniu. *Cic. Cum conſtituiſſet Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiſcere.* 2. Philip. *Idem. Omnibus eum contumelijs oneraſti.* 6. Ver. *Idem. Apolloniam omni argento ſpoliaſti.* 1. Cat. *Idem: Magno metu me liberabis.* 2. Of. *Idem: Nunquid ſe obſtrinxit ſcelere ſi quis tirannum occidit? Multa præterea priuandi.* Att. 9 *Idem: Aegritudo me ſomno priuat.* Phor. *Ter. Emunxi argento ſenes.*

Ablatiuus cum præpoſitione A, uel Ab, præter accuſatiuum.

Verba petendi, rogandi, percontandi, præter accuſatiuum fere ablatiuum cum præpoſitione A, uel Ab, poſtulant: ut paſco, repoſco, flagito, efflagito, poſtulo, deprecor, peto, contendo, exigo. 1. Ver. *Cic. Nihil eſt quod minus ferendum ſit, quam rationem ab altero uitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere.* Ep. 4. *Idem: Quid acta uita, quid ſtudia à te flagitent uidebis.* 2. de Or. *Idem: Quo facilius id à te exigam, quod peto, nihil tibi à me poſtulanti recuſabo.* Pro Syl. *Idem: Quis P. Sylla mitior? quam multorum hic uitam eſt à L. Sylla deprecatus? Quæro, percontor, ſciſcitor à te, uel ex te. Idem:*

Quæro illud etiam ex te, quod priuatus admiſiſti. Idem: Epicuri ex Velleio ſciſcitabar ſententiam. Aut. ad Her. Ab aduerſarijs percontatur accuſator, quid futurum ſit. In Vat. 1. de Na. Lib. 1.

Multa præterea uerba auferendi, remouendi, abſtinendi, accipiendi; præter accuſandi, auferendi etiam caſum cum prępoſitione A, uel Ab admittunt. Cic. Clodius pecunias conſulares à ſenatu abſtulit. Idem: Ego Clodij furorem à ceruicibus noſtris repuli. Cęs. Paucis diebus ſeſe cibo ab ſtinuit, atque ita interijt. Cic. Præclarum à maioribus morem accepimus. Pro dom. ſua. Pro Mil. Bell. Gall. Off. 3.

Item fœneror, mutuor abs te pecuniam. Idem: A uiris uirtus nomen eſt mutuata. 2. Tuſc.

Intelligendi uerba prępoſitionem, Ex, recipiunt, quę interdum imitantur nonnulla ex ijs quæ modo commemorauimus. Cic. Ea certiſſima putabo, quę ex te cognoro. Idem: Poma ex arboribus, ſi cruda ſunt ui auelluntur, ſi matura, & cocta; decidunt. Ep. 2. De Sen.

Varia conſtructio.

Quędam, modo datiuum, modo ablatiuum cum præpoſitione habent præter accuſatiuum; ut furor, ſurripio, eripio, aufero. Cic. Si ego tuum ante legiſſem, ſuratum me abs te eſſe diceres. Pli. Nemo furatur alteri. Att. 2. L. 11. c. 14

Induo, dono, impertio, aſpergo datiuum uel ablatiuum ſine prępoſitione habent. Cic. Non pauca ſuis adiutoribus large effuſeque donabat. Idem. Pro Roſ. Am. Pro. Cor.

Eum Pompeius ciuitate donauit.

Verbum paſsiuum:

Verbum paſsiuum ablatiuum cum prępoſitione A, uel Ab poſt ſe poſtulat, qui ex nominatiuo
1. de Na. *uerbi actiui fit. Cic. Nihil eſt uirtute amabilius, quam qui adeptus erit, ubicunque erit genti-*
Ep. 6. *um à nobis diligetur. Idem: Liber tuus & lectus eſt, & legitur à me diligenter, & cuſtoditur diligentisſime.*

Verba paſſiua, quæ tempora ſine perſonis habent, hoc eſt præcipuis perſonis prima & ſecunda.

Sunt uerba paſſiua, quæ tertia perſona contenta ſunt: Hæc præcedit nominatiuus, ſi actiua ſequa-
L. 13. *tur accuſatiuus, ut dormio totam hyemem. Mar. Tota mihi dormitur hyems. Nunc tertiam uiuo*
12. Meta. *ætatem. Oui. Nunc tertia uiuitur ætas.*

Quod ſi in actiuis lateat accuſatiuus, latebit
4.bel.Gal. *etiam in paſſiuis nominatiuus. Ceſ. Noſtri milites amplius horas quattuor fortisſimè pugnauerunt. A noſtris militibus amplius horas quattuor fortisſimè pugnatum eſt. Interdum uterque*
Pſeud. *caſus apparet. Pla. Priuſquam iſtam pugnam pugnabo, ego etiam prius dabo aliam pugnam.*
Pro Mur. *Cic. Cum ex omnibus pugnis, quæ ſunt innumerabiles, uel acerrima mihi uidetur illa, quę cum rege commiſſa eſt, & ſumma contentione pugnata Sal.*
Iug. *Quæ negotia multo magis, quam prælium male pugnatum à ſuis, regem terrebant. Poſt ſe ablati-*

num ſingularis, uel pluralis numeri cum præpo-
ſitione *A*, uel *Ab* exigunt. Cic. Nihil eſt à me Ep.6
inſeruitum temporis cauſſa. Idem: Eius orationi Ep. 1.
uehementer ab omnibus reclamatum eſt. Hic ca-
ſus ſæpenumero tacetur. Pla. Quid agitur? ſtatur Pſeu.
hic ad hunc modum. Idem: Quid agitur? uiuitur. Per.

VERBA COMMVNIA.

Verba communia, ſi qua ſunt ſignificatione paſſiua, more paßiuorum conſtruuntur, quæ eruditius ſæculum fere reiecit, ſeruatis nonnullorũ præteritis temporibus, & quæ inde formãtur. ut A quo ſunt hæc dimenſa? Non ſunt hæc à te meditata. Huius generis ſunt, expertus, cõplexus, teſtatus, interpretatus, largitus, comitatus, mentitus, ementitus, Itẽque cetera, quibus raro apponitur ablatiuus. Cic. Quis audeat luci bene 10. Philip.
comitatum aggredi? Idem: Sceleſtum, ac nefa- Pro Syl.
rium facinus, atque eiuſmodi, quo uno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe uideantur.

NEVTRO PASSIVA.

Vapulo, uæneo, fio, ut paßionẽ ſignificant, ita paſſiuorum more conſtruuntur. Cic. Quantam di Ep. 16.
ligentiam in ualetudinem tuã contuleris, tãti me fieri à te iudicabo. Malo à parentibus uapulare, quam aſſentatoribus aures patefacere. Fabritius malebat à ciue ſpoliari, quam ab hoſte uænire.

COMMVNES OMNIVM VERborum conſtructiones.

Hactenus de propria, atque priuata uerborum cõſtructione dictum eſt, deinceps de communi omnibus dicendum erit.

Genitiuus communis.

Propria pagorũ, caſtellorum, urbium primæ uel ſecundæ declinationis ponuntur in genitiuo poſt quoduis uerbum ſi interrogatio fiat per aduerbium Vbi. Cic. Egnatius Romæ eſt. Idem. Accepi litteras tuas datas Placentiæ. Idem: Veteranos quique Caſilini, & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam.

Att. 4 Ad Q. Fr. 2. Att. 16:

Propria ſequuntur appellatiua quattuor, humi, belli, militiæ, domi, quorum poſtremo adiungi poſſunt adiectiua meæ, tuæ, ſuæ, noſtræ, ueſtræ, alienæ. Cic. Theodori quidẽ nihil refert, humi ne, an ſublime putreſcat. Idem: Quibuſcũque rebus uel belli, uel domi poterũt, remp. augeãt. Sal. Domi militiæque boni mores colebantur. Cic. Nonne mauis ſine periculo domi tuæ eſſe, quam cum periculo alienæ?

5. Tuſc. 1. Offic. Cat. Ep. 4.

Appendix.

Si propria tamen fuerint tertiæ declinationis uel pluralis numeri, auferendi caſu utendum eſt. Cic. Babylone paucis poſt diebus Alexander eſt mortuus. Idem: Si ſtatim nauiges, nos Leucade cõſequere. Idem: Commendo tibi maiorem in modum domum eius quæ eſt Sicyone. Idem: Malo

1. de Diu. Ep. 16 Ep. 13. Att. 16.

cum timore domi eſſe, quam ſine timore Athenis tuis. Idem. Lentulum noſtrum ſcis Puteolis eſſe. Att. 9. *Idem: Vnum obijcitur, natum eſſe Gadibus, quod nemo negat.* Pro Cor. Bal.

Appendix.

Ruri, uel rure, dandi, uel auferendi caſu utimur cum huius eſt loci. Pla. Si illi ſunt uirgę ruri, at mihi tergum domi eſt. Bacch. *Liu. Morientem rure eo ipſo die ſepeliri ſe iuſſiſſe ferunt.* 8. 4. D. *Si uero per aduerbium, Quo, fiat interrogatio, accuſandi caſu efferuntur cuiuſcunque ſit declinationis, ac numeri, ut quo is? Romam: Brunduſium, Carthaginem, Athenas, Delphos, Gades. Rus. Domum. Cic. Epiſtolas Catinam, Tauromininum, Syracuſas commodius mittere potero.* Att. 14. *Ter. Domum reuertor mœſtus.* Hea. *Idem: Rus ibo.* Eun.

Si per Vnde, uel Qua fiat interrogatio, ablatiuo utemur, Vnde redis? Roma, Brunduſio, Carthagine, Athenis, Delphis, Gadibus, rure, domo, Qua iter feciſti? Roma, Brunduſio. Cic. Accepi Roma ſine tua epiſtola faſciculum litterarum. Att. 5. *Idem: Hac ſuper reſcribam ad te Rhegio.* Att. 16. *Ter. Video rure redeuntem ſenem.* Eun.

Appendix.

Propria nonnunquam præpoſitionem recipiunt, maxime apud hiſtoricos. Cic. A Brunduſio nulla adhuc fama uenerat. Att. 9. *Idem: Nauis & in Caieta parata eſt nobis, & Brunduſij.* Att. 8. *Liu. Interim ab Roma legatos ueniſſe nuntiatum eſt.* 1. Bel. Pu.

Nomina Inſularum, Regionum, Prouinciarum, ceterorum denique locorum præpoſitione indigent. Cic. Ex Sicilia in Africam gradus impe
4. Ver. *rij factus eſt Romanis. Idem: Promitto tibi, ſi*
Att. 9. *ualebit, tegulam illum in Italia nullã relicturum.*
Att. 14. *Idem. Non. Quint. Veni in Puteolanum. Idem.*
Att. 13. *Ego in Tuſculano te expecto.*

Datiuus communis.

Quoduis uerbum admittit datiuum, eius perſonæ in cuius gratiam commodum uel incommodum aliquid fit.
Mil. *Pla. Tibi aras, tibi occas, tibi*
Att. 1. *ſeris, tibi eidem metis. Cic. Libros tuos caue cuiquam tradas, nobis eos, quemadmodum ſcribis conſerua.*

Accuſatiuus communis temporis.

Tempus accuſandi, uel auferendi caſu effertur, ſi per quam diu fiat interrogatio, ut quam diu regnauit Romulus? Septem, & triginta annos uel
1 ab ur. *annis. Liu. Romulus ſeptem, & triginta regna-*
In Cal. *uit annos. Suet. Vixit annos uiginti nouem, imperauit triennio, & decem menſibus, diebusque octo.*

Si uero per quando fiat, ablatiuo utemur; quãdo datum eſt tibi hoc negotium? anno ſuperiore.
De Aruſ. *Cic. Negotium magiſtratibus eſt datum anno ſu-*
5. Tuſc. *periore. Idem: Heroicis etiam ætatibus Vlyſſem, & Neſtorem accepimus, & fuiſſe, & habitos eſſe ſapientes.*

Accuſatiuus communis ſpatij.

Cuiuis

Cuiuis uerbo apponi poteſt accuſatiuus qui diſtantiam loci ſignificet. Cic. Is locus eſt citra Leucadem ſtadia uiginti. Idem: Cubitum nullum aſſiduo curſu proceſſit. Idem. Negat ſe à te pedem diſceſſiſſe. Liu. Mille et ducentos paſſus ibi latitudo patet. Idem: Duo millia ferme & quingentos paſſus ab hoſte poſuerunt caſtra. Cic. Dixit ut ab urbe abeſſet millia paſſuum ducenta. Ep. 16. Att. 13. Pro Deio. 7.Bel.Ma: Ibid. Pro Seſ.

Interdum ablatiuo utuntur ſcriptores. Cæſ. Eo die caſtra promouit et millibus paſſuũ ſex à Cæſaris caſtris ſub monte conſedit. Idem: ab exploratoribus certior factus eſt Ariouiſti copias à noſtris, millibus paſſuum quattuor & uiginti abeſſe. 1.Bel.Gal. Ibid.

Ablatiuus abſolutus.

Quibuslibet uerbis addi poteſt ablatiuus abſolute poſitus. Cic. quod auctore te uelle cœpi adiutore aſſequar. Idem: Scripſi hæc ad te appoſita ſecunda menſa. Idem: Ego nobilium uita, uictuque mutato, mores mutari ciuitatum puto. Idem: Ego cautius poſthac hiſtoriam te audiente attingam. Att. 5. Att. 14. 3. de Leg. In Bru.

Ablatiuus ĩſtrumẽti, cauſæ, modi, actionis.

Quæuis uerba ablatiuum admittunt ſignificantem inſtrumentum, aut cauſam propter quam aliquid fit, aut modum quo aliquid fit. Ter. Hiſce oculis egomet uidi. Cic. Veſtra culpa hæc acciderunt. Idem: Quo nam modo id factum ferret ciuitas. Idem: Sapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo. Adel. Ad Q. fra. 2. Pro Milo. De Sen.

Modus actionis præpoſitionem, Cum, interdum deſiderat. Idem: Ira procul abſit cum quanihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt. Idem: Cum febri domum rediit dieque ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus.

1. Off.
3. de Or.

Ablatiuus exceſus.

Cuiuis uerbo adiungi poteſt ablatiuus rei, qua exceſſus ſignificatur. Cic. P. Scipio omnes ſale, facetiiſque ſuperabat. Idem lepore, & humanitate omnibus præſtitit Socrates.

In Bru.
2. de Or.

Ablatiuus pretij.

Qualibet ablatiuum admitunt ſignificantem pretium, ut Senatus tritici modium tribus denariis æſtimauit. Magno has ædes ædificaui. Donatus litteras docet mina in ſingulos menſes. Mina ualet centum drachmis Atticis. Secalis modius proximo anno ternis ſeſtertiis, fuit ſummum, quaternis.

Exceptio.

His tamen genitiuis exceptis tanti, tantidem, quanti, quanticunque, pluris, minoris. Cic. Emit homo cupidus tanti, quanti uoluit. Idem: Vendo meum non pluris quam ceteri, fortaſſe etiam minoris. Idem: Quanti frumentum ſit conſidera, uideo eſſe binis ſeſtertiis.

3. Offic.
Ibid.
5. Verr.

Appendix.

Genitiui tanti, quanti quanticunque, minoris, in ablatiuum tranſeunt, ſi addantur ſubſtantiua. Liu. Hic miles magis placuit, cum pretio minori

4. Bel. Pu.

reddimendi captiuos copia fieret. Iuue: Quanta metiris pretio?

CONSTRVCTIO VERBI INFINITI.

Verba infinita eoſdem poſt ſe caſus poſtulant quos finita. Cic. Cupio te Aedilem uidere. Idem: Quod ſcribis te à Cæſare quotidie plus diligi immortaliter gaudeo. Idem: Spero me tibi cauſſam probaſſe. Idem: Iniuriam ab huius familia factam eſſe dixiſti. Ep. 2. Ad.Q.fra. Att.1. Pro Clu.

Futuri infiniti circuitio.

Futurum proprium infiniti uerbi, quod quidem ſit in uſu, preter Fore habemus nullum. Cic. Scripſit ad me Cæſar perhumaniter non dum te ſibi ſatis eſſe familiarem propter occupationes ſuas, ſed certe fore. Ep. 7.

Cetera ex pariticipio in rus, & infinito eſſe, ſi actiua ſint, ſupplentur mutatis numeris, & generibus pro re de qua agitur. Cic. Id ſe facturum eſſe aſſeuerauit. Idem: Non moleſte fero me laboris mei, uos uirtutis ueſtræ fructum eſſe laturos. Idem: Scribit meas litteras maximum apud te pondus habituras. 2. Pphilip.

Si uero paſſiua ſint, adminiculo participij in dus fiunt, ut minatur Catilina breui remp. à ſe funditus euertendam eſſe. Virg. Sociis tunc arma capeſſant, Edico, & di- 3. Æn.

ra bellum cum gente gerendum.
~~Hoc tamen participium paſſiuum~~ in dus, ~~apud~~
probatos autores neceſſitatem, et officium potius,
Ep. 1. quam tempus futurum ſignificat. Cic. Ab iјs a qui
Ep. 4. bus tuendus fuerat, derelictus. Et Ser. Paucis po
ſt annis ei moriendum fuerat. Tempus autem fu-
turum effertur per circuitionem huiuſmodi. Con-
1. de Diu. ſumptum iri, Euerſum iri. Cic. Vaticinatus eſt
madefactum iri minus triginta diebus Græciam
ſanguine.

Appendix.

Futurum tam agendi, quam patiendi modi ele
ganter ſuppletur ad hunc modum, maxime cum
participia non ſunt in uſu. Puto fore, ut à
1. Tuſc. Pompeio, Fallaris. Cic. Spero fore ut contingat
id nobis.

Animaduertenda eſt etiam circuitio illa ex præ
Ep. 4 terito & futuro mixta, uenturum fuiſſe, dicturum
fuiſſe. Cic. Eum cenſemus magis communem in ui-
ctoria futurum fuiſſe? Item illa: futurum fuiſſe ut:
quæ una circuitio participij futuri uicem ſupplet.
Puto futurum fuiße ut diſceres, niſi ceßator fuiſ-
ſes. Puto futurum fuiſſe ut mihi tuæ litteræ citi-
us redderentur, ſi eas tabellario perferendas de
dißes.

II. Appendix.

Datum iri, redditum iri, & cetera id genus qui
bus proprie futurum patiendi modi ſuppletur om
nibus generibus numeriiſque integra accommo-

dantur. Cic. Brutum,ut ſcribis,uiſum iri a me puto. Cic. Cuius litteris omnia certiora perlatum iri ad Senatum putabam. Idem: Vt philoſophi ambulant has tibi redditum iri putabam prius. Ter. Interea rumor uenit datum iri gladiatores. Att. 15. Ep. 15. Att. 7 Hec.

Infinita cum quibus uerbis copulentur.

Verbis cœpi, ſoleo, debeo, cupio adduntur infinita multiſque alijs, maxime ijs, quibus uoluntas explicari ſolet. Cic. Qui mentiri ſolet, peierare conſueuit. Idem. Omnes cupimus, ego in primis quam primum te uidere. Pro Cor. Ep. 16.

Appendix.

Amphibolia accuſatiui geminatione facta ſoluitur ablatiuo. Milonem audiui occidiſſe Clodiũ, ambigua eſt oratio, dubium enim, eſt uter ab altero fuerit occiſus: muta alterum accuſatiuum in ablatiuum ſic, à Milone audiui occiſum eſſe Clodium, ſublata eſt omnis dubitatio.

Gerundia.

Gerundia, quæ paſſionem non ſignificant, caſus ſuorum uerborum admittunt, ut tempus obliuiſcendi iniuriarum, ignoſcendi inimicis, coercendi cupiditates, abſtinendi maledictis.

Gerundia in di.

Gerundijs in di adduntur ſubſtantiua tempus, cauſa ſtudium, finis, et cetera eiuſdem generis. Cic. Equidem efferor ſtudio patres neſtros, quos colui, & dilexi, uidendi. Idem: Sit iam aut finis omnino deplorandi, aut moderatio. De Sen. Att. 10.

Item nonnulla adiectiua ut peritus, imperitus,
2. de Or. cupidus, inſuetus nauigandi ignarus dicendi. Cic. Sum cupidus te audiendi.

Appendix.

Gerundia in di interdum genitiuum multitu-
2. de Di. dinis pro accuſatiuo admittunt. Cic. Doleo tantam ſtoicos noſtros Epicureis irridendi ſui facul-
Cap. tatem dediſſe. Pla. Nominandi tibi iſtorum erit magis, quam edundi copia.

IN DVM.

Gerundijs in dum præponuntur præpoſitiones
5. Tuſc. Ad, ob, Inter. Cic. Conturbatus animus non eſt
4. Ver. aptus ad exequendum munus ſuum. Idem: Eum à quo pecuniam ob abſoluendum acceperis, con-
2. ab ur. demnare? Liu. Ipſe inter ſpogliandum corpus hoſtis ueruto percuſſus, inter primam curationem expirauit.
3. Geor. Præponitur & ante, ſed rarius. Vir. Namque ante domandum Ingentes tollunt animos.

IN DO.

Gerundia in do, modo ſine præpoſitione in ora-
Att. 13. tione adhibentur. Cic. Plorando defeſſus ſum. Modo præpoſitiones maxime A, Ab, De, In aſſu-
De Amic. munt. Idem. Vtrunque dictum eſt ab amando.
Ep. 2: Idem. Etenim quis eſt tam in ſcribendo impiger
Att. 8. quam ego? Idem. Tu quid cogites de tranſeundo in Epirum ſcire ſane uelim.
Aul. Nonnunquam E, uel Ex, Cum Pro, Pla. He-

us ſenex pro uapulando, hercle abs te mercedem petam. Quin. Scribendi ratio coniuncta cum loquendo eſt. L. 1. c. 5.

Gerundia paſſiua.

Gerundia, quæ paßionem ſignificant, nullum poſt ſe caſum admittunt. Quin. Memoria excolendo ſicut alia omnia, augetur. Sal. Pauca ſupra repetam, quoad cognoſcendum omnia illuſtria magis, magisque in aperto ſint. L. 11. c. 3. Iug.

Ratio uariandi Gerundia.

Gerundia, quæ accuſandi caſu gaudent, fere elegantius more adiectiuorum ad hunc modum conſtruuntur. Pompeius ſtudioſus fuit Remp. defendendi, ciuesque ſeruandi. Pompeius ſtudioſus fuit. Reip. defendendæ, ciuiumque ſeruandorum. Ita ut gerundij caſus maneat, ſeruato tamen genere, ac numero accuſatiui. Cic. Princeps ueſtræ libertatis defendendæ ſemper fui. Idem. Omne deſiderium litteris mittendis accipiendisq; leniã. 4. philip. Ep. 13.

Participiale uerbum in Dum.

Verbum participiale in dum accedente uerbo ſubſtantiuo datiuum poſtulat omnibus uerbis communem. Liu. Hic uobis uincendum, aut moriendum milites eſt. Præter datiuum communem, caſum etiam ſui uerbi admittit. Cic. Tuo tibi iudicio eſt utendum. Tibi, caſus eſt communis, tuo iudicio proprius uerbi. 1. Bel. Pũ. 2. Tuſc.

Appendix.

Si tamen caſus uerbi fuerit accuſatiuus, mu-

tabitur participiale actiuum in paſſiuum, hoc modo, petendum eſt tibi pacem, petenda eſt tibi pax, timendum eſt nobis pœnas æternas, timendæ ſunt nobis pœnæ æternæ.

Supina in Vm.

Supina in Vm amant uerba motum ſignificantia. Phor. *Ter. Percontatum ibo. Ante ſe nullum, poſt* 1.Bel.Gal. *ſe caſus ſuorum uerborum habent. Cæſ. Legatos ad Cæſarem mittunt rogatum auxilium.*

Supina in V.

Supina in V fere paſſiuæ ſignificationis ſunt Att.7. *ſine caſu, adhærentque nominibus adiectiuis. Cic.* 2.Philip. *quod optimum factu uidebitur facies. Idẽ: O rem non modo uiſu fœdam, ſed etiam auditu.*

Participia.

Participia eoſdem caſus habent, quos uerba, a In Piſ. *quibus proficiſcuntur. Cic. Abiectum, contemptũ, deſpectum a ceteris, à te ipſo deſperatũ, et relictum, adulantem omnes uidere te uolui, uidi.*

Appendix.

Participia paſſiua preteriti, & futuri temporis, maxime cum fiunt nomina, etiam datiuo gau- De Sen. *dent. Cic. Sperare uideor Scipionis amicitiam, & Lælij notam poſteritati fore.*

II. Appendix.

Exoſus, peroſus, pertæſus accuſatiuum petunt. L. 8. *Cur. Perſarum te ueſtis, & diſciplina delectat,* 3.ab ur. *patrios mores exoſus es. Liu. Plebs conſulum nomen haud ſecus, quam regnum peroſa erat.*

Quaſi pertæſus ignauiam ſuam, quod nihil dum à ſe memorabile actum eſſet. In Ceſ.

Participia facta nomina.

Participia in ans, ens, genitiuo gaudent, cum fiunt nomina. Sal. Corpus patiens inediæ uigiliæ, algoris, ſupra quam cuiquam credibile eſt. Cic. Fert grauiter homo, & mei amantiſſimus, & ſuæ dignitatis retinens, ſe apud te neque amicitia, neque iure ualuiſſe. Cat. Ad Q. Fra. 1

Nonnulla etiam præteriti temporis, Cic. Neque enim ille magis iuris conſultus, quam iuſtitiæ fuit. Sal. Alieni appetens, profuſus ſui. 9. Philip. Cat.

Appendix.

Participia præſentis, præteritique temporis, cum nominum naturam induunt, more eorum comparantur. Cic. Vtorque ad omnia Q. Selicio, quo neque prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide maiore eſſe iudico, neque amantiorem tui. Idem. Nihil illo regno ſpoliatius, nihil rege egentius. Idem. Tu omnium mortalium profligatiſſime, ac perditiſſime. Ep. 1. Ver. 5.

II Appendix.

Participijs futuri temporis addito uerbo ſubſtantiuo eleganter utimur pro debere uel oportere, ſum, expectaturus fratrem. Ter. Expectandus eſt mihi frater. Cic. Orandus erit nobis amicus meus Pleſtorius. Phor. Pro Fon.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

noſtri, ueſtri gaudent. Cic. Habetis ducem memorem ueſtri, oblitum Sui. Cæſ. Nihil enim malo, quam & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui. 4. Cat. 9. ad Att.

Exceptio.

Intereſt tamen & refert ablatiuos mea, tua, ſua, noſtra, ueſtra ſibi uendicarunt, quibus ablatiuis addi poſſunt genitiui unius, ſolius, ipſius, cæterique, qui poſſeſsiuis adduntur, ut mea unius intereſt, tua ſolius refert, noſtra ipſorum intereſt uitia extirpare. Tua Remp. adminiſtrantis intereſt ſemper uigilare.

II Exceptio.

Nomina numeralia, partitiua, comparatiua, & ſuperlatiua, genitiuos Noſtrum, ueſtrum, exigunt. Liu. Qui ueſtrum primus o iuuenes oſculum matri tulerit, Cur. Nolo ſingulos ueſtrum excitare. Cic. Domus utriuſque noſtrum ædificatur egregie. Idem. omnibus uobis aut maiori ueſtrum parti. Maximus natu ueſtrum. 1. ab ur. L. 8. Ad Q. Fra. 2. Contra Rul.

Pronomina poſt ſubſtantiua.

Poſſeſsiua meus, tuus, ſuus, noſter, ueſter cohærent cum ſubſtantiuis genere, numero, caſu, cum poſſeſsio uel actio ſignificatur, ut liber meus, ager tuus, ſtudium noſtrum.

Exceptio.

At ſi ſubſtantiua ſignificent partem aliquam generalem corporis, ſiue animi cuiuſmodi ſunt pars, dimidium aliquid, genitiuis primitiuorum utemur. Vt. Nullam partem mei amiſi, hoc

Reciprocum ſuus.

Reciproco ſuus utimur cum tertia perſona trã ſit in rem à ſe poſſeſſam. Cic. Aiebat multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis. Idem. Feræ partus ſuos diligunt. Et antecedente altero uerbo, ut: Timet Põpeius ne à ſuis ueteranis deſeratur. 3. Ver. 2. de Or.

Appendix.

Vtimur præterea reciproco ſuus cum res poſſeſſa in poſſeßorem tranſit. Cic. Vlciſcentur illum mores ſui. Idem: Sua concio riſit hominem. Idem: Hunc ſui ciues è ciuitate eiecerunt. Idem. Indulſit illi quidem ſuus pater ſemper. Att. 9 De Aruſ. Prò Seſt. Att. 10

PRÆPOSITIONVM CONSTRVCTIO.

VERBA abſoluta, & intranſitiua præpoſitionum beneficio in caſus tranſeunt. Cic. Cum etiã tum in lecto Craſſus eſſet, & apud eum Sulpitius ſederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus ſenex cum C. Iulio fratre uenit. 2. de Or.

Tranſitiua præter proprium caſum etiam præpoſitiones cum ſuis caſibus admittunt. Cic. Ni- De Amic.

Verſus ſuo caſui poſtponitur. Cic. Verti me à Minturnis Arpinum uerſus. Att. 16.

Ablatiuo gaudent a, ab, abs, abq; , cum, corã clam, de, e, ex, pro, præ, procul, palam, ſine. Cic. Mihi uero ipſi coram genero meo propinquo tuo, quæ dicere auſus es? Idem. Paulo clam his eam uidi. Liu. Rem creditori palam populo ſoluit. Idẽ. Haud procul occaſu Solis redeundi in caſtra tempus erat. In Piſ. Att. 15. 6. ab ur. 7. Be. Ma.

Tenus.

Tenus quemadmodum, uerſus, poſtponitur, atque fere patrium caſum deſiderat, ſi nomen ſit multitudinis. Cæl. Rumores illi de comitijs Cumarum tenus caluerunt. Sin ſingulare ſit nomen ablatiuo gaudet. Liu. Adeo nudauerat uadaut alibi umbilico tenus aqua eſſet, alibi genua uix ſuperaret. Ep. 8. Li. 6. Bel. Pun.

A, Ab, Abs.

A, conſonantibus præponitur. Cic. Antonius à fronte, à tergo, à lateribus tenetur. Att.

Ab, uocalibus. Idem. Cura & effice ut ab omnibus, & laudemur, & amemur. Et nonnullis conſonantibus. Idem. Ab nullo ille liberalius, quam à Cluentio tractatus eſt. Idem. Rex ab Senatu appellatus eſt, præcipue l. r, & i, ut ab legatis, ab Romanis, ab Ioue. Abs te, & interdum q. Ter. O Daue ita ne contemnor abs te. Idem: Abs quiuis homine beneficium accipere gratum eſt. Att. Pro Clu. Att. And. A del.

In Sub. Super.

Super accuſatiuo ſeruit, cum præpoſitioni ſubter, contraria eſt: maxime cum motus ſignificatur, ut ſedeo ſuper ſaxum; tegula cecidit ſuper caput. Item. Cum ſignificat inter, ut ſuper cœnam occiſus eſt. Præter, ultra, ut ſuper cætera ſcelera hoc etiam facinus commiſiſti. Erant ſuper mille Imperatores imperante Auguſto.

Ablatiuo adiungitur, cum, pro de, ponitur. Cic. Hac ſuper re ſcribam ad te Rhegio. Et interdum cum uerbo quietis, maxime apud poetas. Att. 16.
Virg. Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte. Fronde ſuper uiridi. Ecl. 1.

Subter.

Ferme accuſandi caſum poſcit, ſiue quietis, ſeu motus uerbis adiungatur. Cic. Plato iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locauit. 1. Tuſc.

Præpoſitio uerſa in aduerbium.

Præpoſitio cum caſu priuatur, in aduerbium migrat. Cic. Tu aduentare, ac prope adeſſe iam debes. Idem. Multis poſt annis pecunia recuperata eſt. Idem. Senſibus, & animo ea, quæ extra ſunt percipimus. Att. 4. Pro Flac. 2. de Na.

Præpoſitiones alijs præpoſitionibus præpoſitæ.

Præpoſitiones nonnunquam alijs præpoſitionibus præponuntur. Cic. De Quincto Fratre, nuntij nobis triſtes, nec uarij uenerant ex ante diem Nonas Iunias uſque ad pridie Kal. Septembris. Att. 3.

Vſque tamen fere alteram præpoſitionem de-

7. Ver. *ſiderat. Idem. Maximis in laudibus uſq; ad ſummam ſenectutem Summa cum gloria uixit. Niſi*
6. Ver. *præponatur nominibus oppidorum. Idem. Sacer-*
Adel. *dotes uſque Ennam profecti ſunt. Ter. Miletum uſque obſecro.*

CONSTRVCTIO ADVERBII.

Nominatiuus poſt aduerbium.

EN, *Ecce nominandi, ſeu accuſandi caſum admittunt. Cic. En crimen, en cauſa.* Pro De. *Plau.* Amphi. *En tectum, en tegulas, en obductas fores.*

Genitiuus poſt aduerbium.

Satis, abunde, affatim, parum, inſtar, partim, Att. *ergo pro cauſa genitiuum poſtulant. Cic. In iſto iuuene quamquam animi ſatis, auctoritatis parum* In Br. *eſt. Idem: Plato mihi unus inſtar eſt omnium. Liu.* 7. Bel. Ma. *Victoriæ naualis ergo in unum diem ſupplicatio decreta eſt.*

Aduerbia ſuperlatiua.

Item aduerbia ſuperlatiua à nominibus orta. In Bru. *Cic. Maxime omnium nobilium Græcis litteris* Ibid. *ſtuduit. Idem ſæpiſſime audio illum omnium fere oratorum latine loqui elegantiſſime.*

Aduerbia loci.

Vbi, ubinam, ubicumq; ubiuis, quouis, quoquo, nuſquam genitiuos terrarum, gentium, eleganter Att. 5. *admittunt. Cic. quid ageres, ubi terrarum eſſes, ne* Adel. *ſuſpicabar quidem. Ter. Fratrem nuſquam inuenio*

gentium. Dicitur & longe gentium. Cic. Tu lõge gẽtium abes. Huc ſpectant aduerbia eo. Huc. Eo diſcordiæ uentum erat, ut milites ducem deſererent: Huc malorum uenimus, ut aut nobis ſeruiendum ſit, aut turpiter moriendum. Att. 3.

Pridie, Poſtridie.

Pridie, poſtridie, & genitiuum, & accuſatiuũ petunt. Cic. pridie eius diei uenit. Idem: Pridie Nonas Iunij cum eſſem Brundusij. Idem. Poſtridie ludos Apolinares. Att. 11. Ep. 3. Att. 16.

Datiuus poſt aduerbium.

Quædam dandi caſum petunt more eorum unde deducũtr. ut conuenienter obuiam, et ſimilia. Cic. Non quæro quid dicat, ſed quid conuenienter rationi poſſit, & ſententiæ ſuæ dicere. Idem. Cæſari ex Hiſpania redeunti obuiam longiſſime proceſſiſti. 2. de Fin.

Accuſatiuus poſt Aduerbium.

Propius, proxime accuſandi caſum exigunt. Cic. Cur caſtra longius aduerſariorum caſtris, et propius urbem mouentur. Idem: Brutus operam dat, ut cum ſuis copijs, quam proxime Italiã ſit. In Ep. ad Oct. 10. Phil.

AB HINC.

Abhinc uerbis preteriti temporis iunctum accuſandi, ſeu auferendi caſum poſtulat. Cic. Horum pater ab hinc duos, & uiginti annos eſt mortuus. Idem. Quo tempore? ab hinc annis quindecim. 4. Ver. Pro Q. Ro.

2. de Inu. *Comparatiua ablatiuo gaudent. Cic. Lacryma nihil citius areſcit.* Hecy. *Ter. Dies triginta, aut plus eo in naui fui. Idem. Sexaginta annos natus es, ut conijcio, & eo amplius.*

Aduerbia loci.

Aduerbia quibus interrogamus ſunt hæc. Vbi, Vnde, Quo, Qua, Quorſum.

Ad interrogationem ubi, redduntur hæc: Hic, Iſtic, Illic, Ibi, Inibi, Ibidem, Alibi, Alicubi, Vbique, Vtrobique, Vbilibet, Vbiuis, Vbicumq;, Paſſim, Vulgo, Intus, Foris, Nuſquam, Longe, Peregre, Item. Supra, Subter, Infra, Ante, Poſt, Extra, cum fiunt aduerbia. Cic. Nemo eſt, quin ubiuis, quam ibi, ubi eſt eſſe malit.

Ad unde, redduntur hæc, Hinc, Iſthinc, Illhinc, Inde, Indidem, Aliunde, Vndelibet, Vndeuis, Vndiq;, Vndecunq;, Vndequaq;, Alicunde, Vtrinq;, Eminus, Cominus, Superne, Inferne, Peregre, Intus, Foris. Hea. *Ter. Vide nequo hinc abeas longius.*

Ad quo, redduntur hæc; Huc, Iſthuc, Illhuc, Eo, Eodem, Illo, Aliquo, Alio, Neutro, Vtroq;, Quoquo, Quocunque, Quouis, Quolibet, Intro, Foras, Hec. *Peregre, Longe, Nuſquam. Ter. Abi Parmeno intro, ac me ueniſſe nuntia.*

Ad qua redduntur hæc, hac, iſtac, illac, aliqua, qualibet, quacunque. Eun. *Ter. Plenus ſum ri-*

marum, hac illhac perfluo.

Ad Quorſum, id eſt quem locum uerſus; redduntur hæc, Horſum, Iſthorſum, Illhorſum, Aliorſum, Deorſum, Surſum, Dextrorſum, Siniſtrorſum, Læuorſum, Prorſum, Rurſum, Introrſum, uel Introrſus, Retrorſum, uel Retrorſus, Quoquouerſum, uel Quoquouerſus. Ter. Horſum pergunt. Idem: Sex ego te totos Parmeno hos menſes quietum reddam, ne ſurſum deorſum curſites. Phor. Ibid.

Vt.

Poſt has uoces Adeo, Ita, Sic, Tam, Talis, Tantus, Tot, fere nunquam ponitur. Quod ſed ut. Cic. Adeo ne hoſpes huiuſce urbis adeo ne ignarus es diſciplinæ conſuetudinisque noſtræ, ut hęc neſcias? Idem: Non ſum ita hebes, ut iſta dicam. Pro Rab. 1. Tuſc.

Ne.

Ne, ſubiunctiuum petit, cum aliquid prohibemus. Ter. Ne poſt conferas culpam in me. Petit & imperatiuum maxime apud poetas. Virg. Eun. 7. Æn.

Ne fugite hoſpitium, neue ignorate Latinos.

Aduerbia in Vm.

Aduerbia in Vm poſitiuis gaudent, ut parum, multum, nimium, tantum, quantum, aliquantum. Cic. Parum firma ſunt, quę de fratre meo ſcribis. Idem: Socer huius uir multum bonus eſt. Idem: In rebus apertisſimis nimium longi ſumus. Att. 10. Con. Rul. 2. de Fin.

Aduerbia O, finita.

Paulo, nimio, aliquanto, tanto, quanto, eo, quo,

multo, hoc, pro, tanto, comparatiuo adhærent.
Att. 2. *Cic. Ciuis haud paulo melior, quam iſti noſtri.*
Ep. 10. *Plancus. Certe hoc maius habes teſtimonium amo-*
ris mei, quo maturius tibi quam ceteris conſilia
mea uolui eſſe nota.

Appendix.

1. Verr. *Multo etiam ſuperlatiuis additur. Cic. Cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij, atque eloquentiæ multo moleſtiſſima.*

INTERIECTIONIS CONSTRVCTIO.

O.

O Tribus caſibus adiungitur, nominandi. Ter. o uir fortis,
Phor. *atque amicus. Accuſandi.*
Ep. 14. *Cic. O me perditũ, o me affli-*
Anor. *ctum. Vocandi. Ter. o Daue*
ita ne contemnor abs te?

Heu, Proh.

Heu, & proh, modo nominandi, uel potius uocandi caſum poſtulant.
6. Æn. *Virg. Heu pietas, heu priſca fides.*
2. Bel. Pũ. *Liu. Tantum proh dolor, degenerauimus à parentibus noſtris: modo accuſandi.*
7. Phil. *Cic Heu me miſerum cur ſenatum cogor, quem laudaui ſemper, reprehendere?*
2. Ver. *Idem: Proh Deum, hominumque fidem.*

Hei, Væ.

Hæi,uæh,datiuo gaudent.Ter. Hei miſero mi-bi.Idem Væ miſero mihi. Hea. And.

CONIVNCTIONIS CONSTRVCTIO.

Coniunctiones Copulatiuæ, & diſiunctiuæ,cũ ad idem uerbum referuntur,ſimiles caſus conectunt.Sal. Diuitiarum, & formę gloria fluxa, atque fragilis eſt. Cic. Quid de pratorum uiriditate,aut arborum ordinibus,aut uinearum,oliuetorumque ſpecie dicam? Cat. De Sen. De Amic. 2. Phil.

Quam,niſi, an, præterquam.

Quam,niſi,an,præterquam,eoſdem itidem caſus copulant.Ter. Nemo eſt,quem ego nunc magis cuperem uidere,quam te. Cic. Quem unquam Senatus ciuem, niſi me, nationibus exteris commendauit? Idem: Refert etiam qui audiant, Senatus an populus, an Iudices. Idem: Pro tantis rebus nullum à uobis præmium poſtulo, præterquam huius diei memoriam ſempiternam. Eun. Pro Ses. 3. de Or. In Cat. 3.

Exceptio.

Aliquando huic conſtructioni certa dictionum proprietas obſtat, ut fui Romæ, et Athenis. Aut Brunduſij, aut Sulmone mortuus eſt. Emiſtine librum centuſſe an minoris? Malim Panhormi quam Syracuſis eſſe.

Etſi, tametſi, quamquam.

Etſi, tametſi, quamquam in principio ſtatim ſententiæ Indicatiuum poſtulant. Cic. Etſi uereor Iudices. Idem: Tametſi nihil mihi fuit optatius. Idem: Quamquam gratiarum actionem à te non deſiderabam.

Pro Mil. Ep. 1.

Alibi etiam ſubiunctiuum admittunt. Quin. Cædi uero diſcentes, quamquam receptum ſit & Cryſippus non improbet, minime uelim.

Etiamſi, Quamuis, Licet, Vt pro Quamuis.

Etiamſi, Quāuis, Licet, Vt, Pro, quamuis ſubiūctiuo gaudent. Cic. Omnia breuia tolerabilia eſſe debent, etiamſi maxima ſint. Idem: Homines quamuis in rebus turbidis ſint, tamen homines ſunt, interdum animis relaxantur. Idem: Tantus ueſter conſenſus de ſalute mea fuit, ut licet corpus abeſſet meum, dignitas iam in patriam reuertiſſet. Idem: Vt ſumma haberem cetera, temporis quidem uix ſatis habui.

De Amic. 2. Phil. Poſt red. in Sen. Pro Q.

Verba quædam nominatim excipere placuit, in quorum uſu ferme ſolent pueri offendere.

VIDEOR.

Verbi uideor, is demum rectus eſt uſus, atque ſtructura, ut numerū ac perſonam ſequatur eam, de qua ſermo eſt in recto. Demoſthenes uidetur mihi iuuiſſe Remp. Improbi homines inſanire mihi uidentur. Tu mihi erraſſe uideris. Vos mihi recte feciſſe uidemini. Ego mihi parum profeciße uideor. Nos præclare operam poſuiſſe uidemur.

SVADEO, ET PERSVADEO.

In his duobus uerbis imperiti dupliciter peccant: Primum, quod Perſuadeo putant idem eſſe quod Suadeo; cum tamen, quiſquis perſuaſit, ſua ſerit etiam; non contra. Deinde, quod aiunt, ſuadet uel perſuadet ille me, cum in datiuo collocari debeat is cui ſuadetur; illud uero quod ſuadetur uel perſuadetur, in accuſatiuo. vt, Perſuaſit ille mihi hoc. Cic. Eſt ne quiſquam tanto inflatus errore, ut ſibi ſe illa ſcire perſuaſerit. Idem: Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit. Itaque illud etiam uitandum eſt: Perſuaſus ſum, pro perſuaſum eſt mihi. Cic. Ita perſuaſum eſt omnibus, fugiße Antonium. 4. Aca. Quæſ. de Sen. Ep. 11.

IVBEO.

Recta huius uerbi conſtructio eſt, ut cum accuſatiuo iungatur: Iubeo te hoc uel illud. Nihilo minus multos perperam uidemus ita loquentes; Iubeo tibi. Plaut. Aut ſi reſpexis, donec ego te iuſſero. Aul.

CONSVLO.

Cauendum eſt etiam ne dicamus, Conſulo tibi ut hoc uel illud facias, pro, conſilium do; uel autor tibi ſum, uel ſuadeo tibi: Nam conſulere, cum datiuo, eſt proſpicere.

ADHIBEO FIDEM.

Adhibeo fidem pro Habeo, multi perperam dicunt. Adhibemus autem laborem, ſtudium, diligentiam, & cetera id genus.

VEREOR.

Ne in huius uerbi ſtructura peccetur, expen-
Pro Mar. *denda eſt harum locutionum uis ac reſolutio: Cic.*
Vereor ut quod dicam, perinde intelligi poſſit,
atque ego ſentio. Ideſt, uelim hoc, intelligatur,
ſed (ut barbari loquuntur) dubito ſi intelligetur
Ad Att. 1. *ita ut ego ſentio, Idem: Vereor ne putidum ſit:*
Id eſt Nollem, ſed timeo quod ſit putidum. Cic.
Ad Att. 7. *Si manet, uereor ne firmum exercitum habere nõ*
poſſit, ideſt uellem, ſed (ut uulgus loquitur) ti-
meo, quod non poterit habere firmum exercitum.
Ep. 2. *Non uereor ne non ſcribendo te expleam, Ideſt,*
certo ſcio (ut imperiti loquũtur) quod te explebo.
Sunt enim hic quattuor negatiuæ particulæ, cùm uerbum ipſum, Vereor, uim quandam occultam in ſe negandi contineat. Itaque vereor ut, & vereor ne non; deſiderium rei ſignificant. vereor ne; timorem: Non vereor ne non: certam rem eſſe.

EXARO.

Hoc uerbum idem ualere nonnulli putant,

quod conſiderate ſcribo: propria tamen eſt eius uis, raptim & feſtinanter litteris committo. Cic. Att. 12. *Hoc litterularum exaraui egrediens è villa ante lucem.*

AMATVS FVI. &c.

Cauendum etiam, ne ex uulgatis Grammaticæ rudimentis, in præterito paſſiuo dicere aſſueſcamus. Amatus fui, fuiſti, fuit &c. Non enim eſt in uſu niſi ſum, es, eſt. Quæ res eſt clarior, quam ut exemplis indigeat.

Quod ſi qua forte, uel in infimæ claſſis, uel etiam in probatis ſcriptoribus, contra haſce adnotatiunculas reperias; ea uel admodum rara ſunt, uel certe eiuſmodi, ut ab eloquentiæ latinæ ſtudioſis minime imitanda eſſe uideantur.

FINIS.

VENETIIS,

Apud Michaelem Tramezzinum.

M. D. L X X.

O, et or his olim uerbis tribuêre Latini,
Vociſero, lacrymo, ~~diuerto~~ iaculo, præuerto, reuerto,
~~Contemplo~~ Diuerto, modero, obsonoq́, aſsentio, meto,
Oſcito, demereo, emereo, pro, com, mereoq́,
Munero, morigero, fabricoq́, remunero, ſicut
Depopulo, populo cum impertio, partio, dispert.
Mutuo, conte~~mplo~~ ~~ſpeculo~~ medico, ſic fœnero, ~~punit~~,
~~Et~~ [illegible]
Adminiculo, fluctuo, luxurio. cachinno